

olim intra celum se continabat, per Evangelii tui predicationem totam subito pervasit Judeam et Syriam : sic saluberrimum tuum, bone Jesu, nomen magna admiratione innouit, ut nihil aliud quam unguentum pretiosissimum videatur, quod e coelesti myrotheco in terras effusum, suo odore longe lateque diffusio circumstantes mirifice delectat, et ad sui rapit admirationem et desiderium. *Effusum*, quia liquores cum effunduntur, tum maxime suavitatem sui odoris expirant, eoque adstantium olfactum demulcent, alliciunt et recreant.

Queres, quodnam hoc nomen? *Primo*, Chaldaeus accipit nomen *Jehova* : « Et nomen tuum sanctum, inquit, auditum est in universa terra, quod est electum magis, quam oleum unctiois, quod unguuntur capita regum et sacerdotum. » Unde nulli nomen hic accipit Dei, qui in creatione mundi suam bonitatem et beneficentiam in omnes creaturas cœa oleum effudit, ac in ejusdem redemptione viscera misericordiae suae, puta Unigenitum suum, in carnem nostram emisit, imo effudit. *Jehova* enim significat ipsum esse, ac essendi oceanum, sive pelagus immensum, primumque omnium principium, a quo res omnes velut e fonte suum esse mediantur et hauriunt; *Jehova* vero in *Jesum* transmutatus est, cum Deus factus homo, gratiae et salutis suae pelagus in fideles omnes effudit. Addit Eusebius, lib. IV *Demonstr.* cap. 7, *Jehova*, id est Deum Patrem totam suam divinitatem in Filium per generationem effundere : Patrem vero et Filium eandem in Spiritum Sanctum per spirationem transfundere. Unde idem, lib. V *Demonstr.* 1, Filium vocat *fragrantiam* Patris.

Porro nomen *Jehova*, id est Dei, olim solis Judaeis notum, ac in Judaea quasi conclusum, per Jesum, id est Verbum incarnatum, sparsum et effusum est per totum orbem, cum ad praedicationem apostolorum omnes gentes, etiam atheae, cognoverunt, amaverunt et glorificaverunt Deum. Ita Origenes, Anselmus et alii. Audi S. Ambrosium, lib. III *De Virgin.* post medium : « Semper unguentum hoc erat, sed erat apud Patrem : erat in Patre : olebat tantum angelis et archangelis tanquam intra vasa coeli. Aperuit os Pater dicens : Ecce posui te in testamentum generis mei, in lumen gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terrae : descendit Filius, repleta sunt omnia novo odore. » Et nonnulli interjectis : « Ipse Dei Filius in corpore tanquam in vase odorem primo coliebat suum, operiens tempus, sicut ait : Dominus dat mihi linguam eruditioris, ut sciat quando me oporteat dicere sermonem. Venit hora, aperuit os : exivit unguentum, quando virtus exibat de eo. Hoc unguentum examinatum super Judaeis, et collectum est a gentibus : examinatum in Judaea, et redoluit in omnibus terris. »

Secundo, magis proprie et genuine, nomen hoc est *Christus* : ipse enim a Judaeis vocatus est *Jes-*

sias, a Graecis *Christus*, a Latinis *Unctus*, quia in incarnatione, qua homo per gratiam Dei patris unctus et consecratus est summus Pontifex, Prophetas, Legislator, Rex et Redemptor orbis. Unde hoc gratiae suae unguentum in omnes credentes in ipsum effudit, et in dies effundit : hinc a Christo omnes vocantur *christiani*. « Cum enim vim suam et potestatem apostolis tradidit, totus mundus pietatem sanctissime inoluit, » ait Philo Carpathius. Unde et in baptismo visibiliter christianae chrisimatis unguento in corpore, et gratia Spiritus Sancti in anima invisibiliter perunguntur, ait Theodoretus. Quocirca Nazianzenus, orat. 4 *S. Baptisma* : « Unguentum illud, inquit, nostra causa exhaustum odoremur, spirituali modo illud accipientes, atque ab eo ita informati et commutati, ut ex nobis quoque suavis odor efflatur. » Sicut enim Magdalena unguentum effundens in caput Christi, totam domum odore suavi replevit, sic Christus gratias suas in fideles effundens, totam Ecclesiam, imo totum orbem, suavissimo Evangelii odore complevit. Sic et Casiodorus, Justus Orgelitanus, Beda et S. Gregorius, quem audi : « Nomen, inquit, sponsi Christus est : quem audi : « Nomen, inquit, sponsi Christus est : sed nomen sponsi quasi oleum effunditur, quia quicumque nomine christiano in veritate censentur, charitate affluunt, qua molliuntur; et, ut flammam exemplorum emittant, eadem charitate continue suffunduntur. » Et S. Augustinus, conc. 3 in *Psalm.* xxx, per unguentum Christi intelligens ejus misericordiam : « Nec, » ait, unguentum misericordiae tuae in Jerusalem quasi in vase tenuisti, sed tanquam contracto vase, unguentum diffusum est per mundum, ut impleretur quod dicitur : Unguentum effusum nomen tuum; et ita mirificae misericordiam tuam in civitate circumstante, id est in omnibus gentibus diffundens misericordiam tuam. »

Simili modo Philo Carpathius per unguentum accipit ardentissimam Dei Christique charitatem in nos effusam et profusam. Haec de causa pontifices aequae ac reges et principes oleo unguuntur, ut plenam in subditos charitatem effundant. Hinc de Jesu pontifice et Zorobabelis principe dicitur *Zachar.* iv, 14 : « Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominiatori universae terrae. » Ac de Elia et Henoch dicitur *Apoc.* xi, 4 : « Hi sunt duae olivae, et duo candelabra, in conspectu Domini terrae stantes. » Vide utrobique dicta.

Porro Eusebius, lib. IV *Demonstr.* cap. xv, addit Christum non tantum qua homo est, sed etiam qua Deus est, ab aeterno unctum esse oleo, id est accepisse a Patre plenitudinem divinitatis : « Supremae, inquit, atque ingenitae divinae essentiae virtutem illam, quae omnia valet, omnis bonum praestat, omnem pulchritudinem subministrat, divinus Spiritus proprio et convenienti exemplo conferens atque accommodans, Dei oleum appellat. Quare et *Christum*, et *unctum* oleum qui illius particeps est, vocat. » Et paucis

Nomen Christi, oleum effusum, quodnam? Resp. Primo, *Jehova*.

Unctio, unctus.

Unctio, unctus.

interjectis : « Eum, inquit, qui solo hoc toto oleo unctus est, quive divina, atque ejus, quae cum nullis aliis communicatur, paterne fragrantis princeps factus, et qui solo ex illo genitus, Deus de Deo est declaratus, Christum atque unctum vocavit. »

Verum proprie agitur hic de Christo, quia hoc est; sic enim est sponsus Ecclesiae, ideoque dicitur *Christus*, id est unctus, idque adeo copiose et plene, ut non tantum unctus, sed et unguentum ac *oleum* nominatur : « Oleum, inquit, effusum nomen tuum, » qua effusione christianos consecravit in mysticos reges et sacerdotes, juxta illud I *Petr.* ii, 9 : « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis : ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. »

Christus ergo qua homo, duplici oleo sive unguento, id est duplici gratia unctus fuit. *Primo* est gratia unionis hypostaticae, per quam caro unita est Verbo, et homo factus est Deus. *Secundo*, ex prioris jam dicta consequens, est gratia habitualis infusa animae Christi, quae eum non tantum sanctificavit, sed et sanctitatis fontem ac sanctorum omnium caput et causam constituit : inde enim secuta est omnis gratiae effusio in cunctos fideles et sanctos ejuslibet gentis, aetatis, sexus, conditionis, gradus et ordinis : « Judens, ait S. Bernardus, habet oleum, sed non effusum; habet in codicibus, sed non in cordibus. Quid tibi prodest pius Salvatoris nomen lectitare in libris, nec habere pietatem in moribus? » At christianus a Christo accipit pietatem in cordibus, qui unctionem Christi accipit in cordibus.

Denique, per nomen accipitur res et persona nomine significata, q. d. ait Beda : « Oleum effusum nomen tuum, » hoc est, recte nominaris, o Christe, id quod es, puta plenus Spiritu, ejusque donis, quae copiose in alios effundis. *Oleum* enim notat spiritum Sanctum quem charismata, quae Christus in Pentecoste in apostolos ceterosque fideles gratis distribuit, juxta illud : « Effundam spiritum meum super omnem carnem, » *Joel.* ii, 28.

Verbo, nomen proprium sponsi Ecclesiae est *Christus* : nomen enim *Christus* est nomen officii; nomen vero *Jesus* est proprium personae, scilicet nomen hominis qui unitus est hypostaticae Verbo. Nomen enim *Jesu* illi impositum est in circumcissione, sicut nobis in baptismo imponitur nomen Gregorii, Petri, Pauli, etc.; *Jesu* enim significat salvatorem, qualis solus fuit homo Deus, sive Verbum incarnatum; hoc enim gratiam salutiferam, atque variam et multiplicem in fideles effudit, ut ad salutem et gloriam aeternam perveniant. Ita illud : « Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. » *Actor.* iv, 12. *Jesu* enim virginibus effudit gratiam castitatis virginialis, viduis vidualis, conjugatis conjugalis, martyribus aspirat fortitudi-

nem, doctoribus doctrinam, religiosis religionem, anachoretis solitudinem, activis actionem, contemplativis contemplationem, etc.; atque haec omnia non sillas parce, sed large effundit, idque cum mira suavitatis fragrantia, adeo ut animae sanctae nil sit suavius, nil dulcius, quam cogitare, nominare, invocare *Jesum*. « *Jesum*, ait S. Bernardus, mel in ore, melos in aure, jubilus in corde : nil canitur suavius, nil auditur jucundius, nil cogitatur dulcius, quam *Jesu* Dei Filium. *Jesu* dulcedo cordium, fons vivus, lumen mentium, excedens omne gaudium et omne desiderium. » Vidit totum hymnum S. Bernardi de nomine *Jesu*.

Dicit ergo Ecclesia et anima fidelis Christo : Tu mihi es *Jesu*, tu meus *Salvator*, tu mea *salus*, tu unguentum salutis tuae in omnes sanctos effundis. Hoc enim nomen tui unguentum compositum est ex pretiosissimis aromatibus divinitatis et humanitatis tuae, puta carnis, sanguinis, et animae tuae omnibus donis et virtutibus ornatisissime, cum divinitate commistis. Ita S. Cyrillus, lib. IV et IX *De Adoratione*.

Ideoque nomen *Jesu* includit nomen *Jehova*, caeteraque omnia Dei et Christi nomina, quae sunt : Emmanuel, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis, etc., *Isai.* ix, 6; *Num.* xiv, 18. Hinc nomen *Jesu* ita suave et amabile fuit S. Paulo, ut illud singulis saepe periculis repetat, cum eoque dissuaviter, hinc in paucis suis Epistolis illud iterat ducentis decem novies, *Christi* vero nomen quadringentesies vellet. Idem fecit S. Ignatius, ut patet ex ejus Epistolis. praesertim in *epist. ad Romanos*, ubi et illud : « *Jesu* meus, amor meus, crucifixus est. » Sic et S. Dionysius, qui cap. iv *Eccles. hierarch.* pag. 3 : « *Jesu* meus, ait, augustissimum *Jesum* supersubstantialiter odorem fragrantem, spiritualibus distributionibus mentem nostram divina voluptate replere; » et S. Francisus, inquit S. Bonaventura in *ejus Vita*, « cum nomen *Jesu* exprimeret vel audiret, júbilo quondam repletus interior, totus videbatur exterior alterari, ac si mellissimus sapor gustum, vel harmonicus sonus ipsius immutasset auditum. »

Jesu nomen dicitur *רוח תורא*, Septuaginta, *καρνα*, id est *evacuatum* et *extrinatum*, tum in circumcissione, ubi primitias sanguinis effundens nomen hoc meruit; tum in passione et cruce, ubi totum sanguinem, spiritum et vitam nobis effudit, juxta illud : « Semetipsum examinavit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, » *Philip.* ii, 7 et 8. Unguentum in vase conclusum non sentitur, ad effusum fragrantiam in omnes effundit. Sic *Jesu* nomen in Christo quasi conclusum non sentiebatur; at ubi in circumcissione et cruce sese effudit, suavissimos amoris omniumque virtutum odores in omnes exhalavit, inquit Theodoretus, Philo Carpathius et Apollonius :

« Sicut aqua, inquit ipse, effusus sum : et dispersa sunt omnia ossa mea, » *Psalm. cxxi, 15.* Audi S. Ambrosium, *serm. 1 in Psalm. cxviii* : « Unguentum exinanitum nomen tuum, hoc est, lotus inamundis impuritatibus diversorum facinororum fetebat hic mundus; nunc spicat ubique suavitate pudicitiae unguentum fidei, flos integritatis. » Idem, *lib. De Isaac et anima, cap. iii* : « Aspirat in verbo odor gratiae, et remissio peccatorum, quae in totum diffusa mundum, omnia tanquam exinanito replevit unguento, quia per universos gravis vitiorum coluvies detersa est. »

Alludit ad candelabrum aureum, quod septem calamis, sive lucernis olei ardebat in Sancto ante propitiatorium, cherubim et aream, quae erant in Sancto sanctorum. Unde et hebraicum nomen *נר* *tesca*, id est *Jesus*, medium praecipuamque litteram continet *ו*, quae speciem habet candelabri, sive lucerne tricipitis. Candelabrum autem ejusque lucerne representabant Christum, ejusque in vita et doctrina splendorem. Vide dicta *Exodi* cap. xxv, 31.

Porro oleum symbolum est, primo, pacis et tranquillitatis; unde illud: « Oleo tranquillior. » Oleum enim adeo tranquillum est, ut et mare tumultuosum tranquillit: qua de causa urinatores solent oleum spargere descendentes in mare, ut illud tum quietum et serenum, tum lucidum reddant, ut haec luce *id* quod in eo mersum perditumque requirunt, inveniunt, teste Plinio, *lib. II, cap. ciii*.

Secundo, oleum symbolum est gratiae et misericordiae; unde Graecis vicina sunt nomina *ελεος* et *ελεος*, id est *oleum* et *misericordia*, ut unum ab altero vim et nomen sumpsisse videatur. Hoc facit quod ait Plinius, *lib. XV, cap. ii* : « Olivae oleum lex antiquissima fuit : Oleum ne stringito, neve verberato. » Haec de causa sub nativitate Christi, Romae fons olei scaturiit, qui per integrum diem continue oleum manavit, significans jam nasci Christum, qui oleum suavitatis, clementiae et gratiae spargeret per totum orbem. Prodigium hoc narrat Orosius, *lib. VI, cap. xix*, et Eusebius in *Chronico*, Paulus Diaconus, et ex his Baronius.

Tertio, oleum symbolum est pinguedinis et calor, quod afferunt amor et charitas; oleum enim est aereum, et multum spiritus continet, ideoque aquis supernat, ait Aristoteles, *lib. II De Generat. animal.* cap. ii. Hinc et « opimal pecus olea, » ait idem, *lib. VIII Histor. animal.* cap. x. Idem asserit apes gaudere olea, ut mellificent. Addit ex Theophraste Plinius, *lib. XV, cap. ii* : « Olei causa est calor; quare et in torcularibus, et jam in cellis multum igne quaeritur. » Idem, cap. iv : « Oleo, inquit, natura est tepefacere corpus, et contra algos res munire. »

Quarto, odoris et fragrantiae boni exempli, nominis et fame; oleum enim hic non purum, sed ex variis aromatatum et odorum speciebus artificiosum commistum, ideoque fragrantissimum intelligitur.

Quinto, oleum signum est et causa hilaritatis: unctos enim exhilarat, nitidosque et letos ac ludicos efficit; unde illud : « Ut exhilaret faciem in oleo, » *Psalm. ciii, 15.*

Sexto, oleum, et magis unguentum symbolum est voluptatis et deliciarum; unde olim in conviviis convivae unguentis pretiosis ungebantur ad lautitias et delicias.

Septimo, oleum confortat corpus, viresque membris vel lassissis finire, vel labore quolibet defatigatis restituit. Unde Samaritae, captivos quos ex Jodab abduxerant, monitu Prophetae cibo potaque refectos, et oleo unctos ad abstergendam defatigatam nem itineris, in patriam remiserunt, *II Paral. xxviii, 15.* Hinc et athletae in stadio decertaturi, oleo ad majus robur perungebant; ut auctoritas oleo coronabantur. Audi Plinium, *lib. XV, cap. iv* : « Olea honorem Romana majestas magnum praebuit, turmas equitum idibus Julii ex ea coronando; ita minoribus triumphis ovantes; Athenae quoque victores olea coronabant. » Idem, *lib. XXIII, cap. iv* : « Omni oleo, inquit, mollitur corpus, vigorem et robur accipit, etc. Venena omnia hebetat. Et lassitudinum perfectionumque refectio est: termina calidum potum pellit; item ventris animalia; vulnerariis emplastris utile, faciem purgat, etc. Lethargicis magis auxiliare, et inclinatio morbo. Capitis doloribus remedium est: item arboribus in febris. » Plura addit in hanc rem.

Octavo, notissimum est oleum adhiberi vulneribus medicandis; unde est illud, *Isai. i, 6* : « Vultus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo. » Et Samaritanus ille evangelicus in vulnera semivivi oleum infudisse narratur et vinum, *Luc. cap. x, 34.*

Haec omnia praestat nomen Jesu, nam primo, iratos tranquillat, et passiones omnes sedat; secundo, gratiam et misericordiam affert, imo effundit; tertio, animam impinguit et calefacit amore et ardore caelesti; quarto, suavissimum gratiae deus et famam omnibus aspirat; quinto, menses exhilarat; sexto, fideles caelestibus deliciis pascit, imo inebriat; septimo, martyres et pro virtute depugnantes, ac certando delassatos corroborat, ut omnia tormentorum genera alacriter et generose superent, ac victores coronat; octavo, omnibus animae vulneribus medetur.

Audi S. Bernardum, *serm. 15* : Olim, inquit, hoc nomen « nec modo fustum, sed et effusum : nam infusum jam erat. Jam celi habebant illud, jam angelis innotuerat. Est autem foris missum; et quod angelis ita erat infusum, ut esset et privatum, effusum et in homines est, ita ut jam tunc merito clamaretur de terra : Oleum effusum nomen tuum. » Et inferius : « O nomen benedictum ! O oleum usquequaque effusum ! Quousque ? De caelo in Judaeam, et inde in omnem terram excurrit; et de toto orbe clamat Ecclesia : Oleum effusum nomen tuum. Effusum plane, quod non solum caelum terrasque perfudit, sed aspersit et inferos,

Quinto,
hilarita-
ca.

Sexto,
delicia-
rum.

Septimo,
robora.

Octavo,
vulneribus.

Etiam
notat
Ier.

adeo ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur et dicat : Oleum effusum nomen tuum. » Et post nonnulla : Oleum, ait, « luctet, pascit et ungit; fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem; lux, cubus, medicina. Vide idem nunc et de sponsi nomine : luctet praedictum, pascit recogitatum, invocatum lenit et ungit. Et percurramus singula. Unde putas in toto orbe tanta et tam subita fidei lux, nisi de praedicto Jesu ? Nonne in hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen suum ? quibus illuminatis et in lumine isto videntibus lumen, dicat merito Paulus : Fuisitis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. » Et post pauca : « Nec tantum lux est nomen Jesu, sed est et cubus. An non toties confortaris, quoties recordaris ? Quid aequae mentem cogitantis impinguit ? quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones ? Ardens est omnis animae cubus, si non oleo isto infunditur; insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi leggero tibi Jesum. Si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit tibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est et medicina. Tristatur aliquis vestrum ? veniat in eor Jesus, et inde saliat in os : et ecce ad exortum nominis lumen, nubium omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando ? nonne si invocet nomen vite, confestim respirabit ad vitam ? Cui aliquando stetit ante faciem salutaris nominis duritia (ut assolet) cordis, ignaviae torpor, rancor animi, languor accedie ? cui fons foris siccatu lacrymarum, invocato Jesu, non continuo erupit uberior, fluxit suavior ? Cui, in periculis palpitanti et trepidanti, invocatum virtutis nomen non statim fiduciam praesitit, depulit metum ? » Venique ex dietis ita concludit : « Nihil ita irae impetum cohibet, superbiae tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriae fluxum, exstinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiae, ac totius indecoris fugat purriginem. Signidem cum nomino Jesum hominem, mihi propono mitem et humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, et omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, eundemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me et exemplo sanat, et roborat adiutorio. Haec omnia simul mihi sonant, cum insonaverit Jesus. Sumo itaque mihi exempla de homine, et auxilium a potente, etc. Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Jesum et sensus dirigantur, et actus. Denique et imitariis : Pone me (inquit cap. viii, 6) signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo. » Plura vide apud eundem, *serm. 15* et 18.

Haec omnia quae dicta sunt de Christo et Ecclesia, facile mutato nomine est applicare animae sanctae, et magis B. Virgini. Unde Rupertus per nomen accipiens Verbum, sive Filium Patris eter-

ni, per quem creavit omnia : « Quis potest, inquit, aestimare fortitudinem ejus ? Porro nomen hoc tam forte, tam magnum, eccae est oleum effusum. Mira res ! Quid Verbo fortius, et quid oleo suavius ! Ergone Verbum est a sua natura immutatum ? non : sed qualitates creaturarum, cum quibus illi ratio est, hinc pro virtute, illinc vitio diverse, imo contrariae sunt. Verbi gratia, diaboli in caelo pro vitium superbus fuit : tu, Virgo, per virtutem humilis in terra apparuisti. Pro qualitatibus tam diversis, tamque contrariis, vitium, idemque verbum, illi ut flumen, tibi ut oleum sese exhibuit, juxta illud Jacobi, *iv, 6* : Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam. » Et post pauca : « Effusum ergo est oleum, id est nomen tuum, quia processit de secreto substantiae tuae Verbum tuae fortitudinis cum suavitate miserationis. »

DEO ADOLESCENTULAE DILEXERUNT TE.

S. Bernardus, *serm. 19*, addit nimis, sed id non 0
habent Hebraea, Graeca et Latina. *Adolescentulas*
vocat Ecclesias et animas in fide et justitia novel-
las, ac reciter per baptismum in Christo rege-
neratas, quae instar adolescentularum sensum illi
aetate, ita et virtute proficiunt et adoleseunt, ut
tandem perfecte Christo sociari, etque spirituali
nuptiarum vinculo osculoque intima copulari
mereantur. Ita Cassiodorus, Beda, Haymo, *Justinus*
et alii. Hebraice pro *adolescentula* est *עלמה*
almah, id est virginis; *עלמה* *almah* enim vocatur
virgo, quia abscondita et viro incognita est, a
radice *עלם* *alam*, id est *abscondit*, uti fuse ostendi
Isai. vii, 14, ad illa : « Ecce virgo (hebraice *kaalma*,
id est *illa virgo*, puta Virgo Beipara) concipiet
et pariet filium. » Sensus ergo est, *q. d.* Adoles-
centulae, hoc est animae in fide et virtute novellae,
quasi virginis a corruptelis mundi absconditae,
dum fragrantiam olei sese ungenti, hoc est cha-
rismatum Christi sponsi odorantur, dumque sen-
sunt quam nomen Jesu Christi sit oleum, sive
unguentum effusum, idque suavissimum et odor-
atissimum, hoc odore et hac suavitate illece in
ejus amore rapiuntur, eumque tenere diligunt.
Unde Chaldaeus verit, *et ideo dilexerunt justis am-
bulare post viam bonitatis tuae, ut possideant saeculum
hoc et saeculum venturum.*

Notat Cassiodorus, ac ex eo Beda et Haymo vo-
cari *adolescentulas* feminine : Quia, inquit, animae
sanctorum, quo majoris fragilitatis sibi sunt con-
sciae, eo amplius Christum diligunt. Porro causa
dilectionis earum est « oleum effusum, » id est
effusa liberalitas Christi. Unde Rupertus : « Nisi,
inquit, oleum effusum fuisset, nisi Verbum caro
factum esset, animae imperfectae ause non fuis-
sent diligere Deum, imo nec ause fuissent illius
audire; unde et dicebant : Non loquatur nobis
Dominus, ne forte moriamur, » *Exod. xx, 19*. Sic et
Origenes : Nisi, inquit, Christus velut unguentum
sese exinanisset, capere eum nullus in *scia* illa
divinitatis plenitudine potuisset, nisi sola fortassis

Esperit
B. Virgini
et ideo
a
Ecclesia
accipit.

sponsa, g. d. Perfecti capiunt Christum in sua divinitate, et imperfecti in sua humanitate; hinc propter eos Christus se effudit in carnem factus homo. Et S. Bernardus, *sermon*. 19: « Effusio quippe, inquit, nomen facit capabile, captus amabile, sed adolescentulis duntaxat. Qui capaciores sunt, integro gaudent, effuso non indigent. Angelica creatura irrepercuta mentis acie intuetur divinorum iudiciorum abyssum multam, quorum summa equitatis ineffabili delectatione beata, gloriatur insuper effectui ea mancipari per suum ministerium, ac palam fieri, ac propterea diligit merito nomen Christum. »

Rursus, alii per adolescentulas intelligunt animas non imperfectas, sed strenuas et perfectas, quae in virtute adoleverunt, ut et eandem aliis communicare, ac filios spirituales Christo parere possint, quales sunt martyres, ait Philo Carpatrius. Sic et Theodoretus ac S. Gregorius, *CXIX Moral.* cap. IX. Adolescentia enim, id est juvenilis media est inter pueritiam et senectutem, ideoque matura, stata et optima est aetas. Unde aliqui ex Hebraeo sic vertunt, *quia adolescentula dilexerat te, video eis oleum vel unguentum effusum esse nomen tuum.* Audi Nyssenum, hom. 1: « Sola, ait, anima illa, quae statum transit infantilem, et ad spiritualis aetatis florem pervenit, nec maculam accepit aut rugam, aut aliquid huiusmodi; et neque propter infantiam caret sensu, neque ob vetustatem est imbecilla, quae adolescentula hoc loco nominatur, ac diligit toto corde totisque viribus illam pulchritudinem, ejus descriptionem, exemplumque et interpretationem non invenit cogitatio. »

Hoc quoque verum est; nam in principio Ecclesie tanta effusa fuit in fideles recens baptizatos Christi gratia, ut eos amore Christi incenderet, faceretque illico ejusdem praecones et martyres. Sensus ergo est, g. d. Cum, o Jesu Christe, nomen tuum fecisti oleum effusum, id est, cum te ipsum in passione pro salute totum effudisti et exhausti, ac nominis hujus vim et fidem per apostolos in omnes gentes effusse dispersisti, atque copiosam gratiam in credentes effudisti; ex triplici hac tui effusione tam liberali factum est, ut ubique terrarum homines certatim ad tui fidem et dilectionem converterentur, adeo ferventer et fortiter, ut illico fierent Evangelii predicatorum, ac pro eo liberentur mortem oppeterent. Id ita contigisse patet ex Pentecoste et praedicatione S. Petri, *Actor.* II et sequent.

Amor ergo Christi effusus in incarnatione et passione inflammavit homines ad eum toto corde redamandum, juxta illud Christi: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendantur? » *Luc.* cap. XII, 49. Hinc adolescentula has in Hebraeo vocat *למחמה* *almohmah*, id est virgines, id est virginitatis studiosas, quae mundi gaudia spernentes totum animum in Christum transferunt, nec nisi eum suum diligunt: Christus enim et

christianismus orbi innoxest studium castitatis et puritatis angelicæ, ideoque virginitatis, virginumque et puritatis angelos omnes superavit. Hinc de causa primi fideles ab apostolis conversi, plerique omnes fuere virgines vel coelibes, adeo ut multi putarent Christi legem vetare matrimonium, et precipere christianis omnibus coelibatum, ut patet ex questione quam Corinthii proposuerunt S. Paulo, an christianis licitus esset usus matrimonii? *I Corinth.* VII. Atque his omnibus vexillum pretulit B. Virgo, quae prima votum virginitalis Deo nuncupavit, ideoque mater Dei fieri meruit. Nam, ut ait S. Bernardus, homil. 2 super *Missus est*: « Deum iniquissimi decebat natiuitas, qua non nisi de virgine nasceretur. Talem congruebat et Virgini partus, ut non pareret nisi Deum. » Itaque per adolescentulas hic omnes fideles intelliguntur, sed maxime virgines: hae enim fragrantiam Christi prae ceteris sentientes, non alium quam ipsum diligunt; unde et sequitur Agnum quocumque ierit, *Apo.* XIV, 4. Tales fuerunt S. Catharina, S. Caecilia, S. Dorothea, S. Agnes, ejus mirificum in Christum amorem graphice describit S. Ambrosius, *serm.* 9, de quibus canit Psaltes: « Adducentur regi virgines post eam, » *Psalm.* XLIV, 16.

VERS. 3. TRAHÉ ME: POST TE CURREMUS IN ODORUM UNGUENTORUM TUORUM.

Hucusque fuit vox Synagoga optantis Christi osculum, id est incarnationem; jam incipit vox Ecclesiae, quae Christo jam nato illecta fragrantia suavissimorum ejus charismatum, postulat post eum trahi, ut ejus sanctissimam vitam, quam in terris egit, passionem et crucem imitetur. Sic enim se infirmum et impotentem ad Christi sequelam, multo magis ad osculum, nisi ad illius gratia Christi impellatur, imo trahatur, juxta illud Christi: « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. » *Joan.* VI, 44. Itaque Cassiodorus, Boda, Haymo et alii praeserim quae crucis Christi excelsa est, ideoque consensu difficilis et ardua; unde ipse ait: « Si exaltatus fueris a terra, omnia traham ad meipsum, » *Joan.* XII, vers. 32. Trahe ergo me a vitis ad virtutes, ab ignorantia ad fidem tuique cognitionem, a carnis ad spiritum, a torpore ad fervorem, ab inchoatione ad profectum, a parvis et planis ad magna et ardua, a terrenis ad caelestia, a timore ad amorem, a voluptate ad crucem et mortificationem. Septuaginta pro *משכחתי* *moschaheti*, id est trahi me, aliis punctis legentes *משחתי* *moschaheti*, vertunt *traxerunt me*. Porro codices Septuaginta hinc mire variant. Nam Romana, Nyssenus, Theodoretus et alii legunt propterea adolescentula dilexerat te, *traxerunt te*; S. Ambrosius, lib. I de *Virgin.*, *attracterunt te*. Idem, lib. De *vis* qui *myster* *tantant*, cap. VI, primum habet, et *attracterunt te*, deinde, *attrahe nos post te*; Complutenses, *traxerunt me*; Origenes, *attracterunt te post se*. Veritas

vera lectio est, *trahé me: post te curremus*. Sic enim habent Hebraea, Latina, Aquila, Symmachus et Chaldaeus. Omnes tamen lectiones eodem redeunt, idemque significant, g. d. Tanta est fragrantia tua, o Christe, tanquam suave est oleum a te effusum, ut adolescentula certatim te ad se trahere percipiant, ac vicissim ipse a se ad te trahi mecum exoptent: imo ipse me ad te traxerunt, ut mecum tibi infime iungantur, ac post te non ambulant, sed currunt; quare ego cum illis et pro illis dico, obsecroque: « Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. » Ubi recte advertit Theodoretus adolescentulas prius tractas a Christo, Christianique amore, deinde per eum satagere vicissim Christum ad se trahere, ut ardentius eum ament, et intimius eo fruantur.

Rursus Hebraea duntaxat habent, *trahé me: post te curremus*; Septuaginta vero, et eos secutus Noster, addunt, *in odorem unguentorum tuorum*; de eo enim sermo processit.

Porro animam ad se trahens Deum per orationem quasi funem, non tam Deum ad se trahit, quam ipsa trahitur ad Deum: sicut qui navim per funem trahit ad rupem, videtur rupem ad se trahere, sed revera ipse non trahit rupem, sed eum navi trahitur ad rupem. Et sicut qui per funem manibus attractum consendit in cacumen domus, non cacumen ad se detrahit, sed ipsum ad cacumen attrahit et ascendit. Utrumque hoc exemplum dat S. Dionysius, de *Divina*, *nomin.* cap. III.

Nota: *Post te, primo*, refertur potest ad id quod praecedit: « Trahe me; » optat enim sponsa trahi ad sponsum, ut ipsum per omnia sequatur. Ita Aponius, Justus Orgetitanus, Chaldaeus, S. Bernardus et alii. *Secundo* et melius, refertur ad *post curremus*, quod sequitur, g. d. Trahe me, ut ego cum adolescentulis post te curramus. Ita Hebraea, Septuaginta, Latina, Romana, et passim veteres. Unde notant Origenes, Nyssenus, Anselmus et S. Basilius in *Isai.* cap. III, vers. 24, sponsam hic loqui in persona, non tam sua, quam adolescentularum. Sponsa enim apprehendit dextram sponsi, et cum eo pari passu incedit; adolescentula vero, velut ancilla et pedisequa, utrumque a tergo sequitur; unde optat post utrumque trahi, aiuntque: « Post te curremus in odorem unguentorum tuorum. »

Nota *secundo*: *Te trahé me* significat *primo*, infirmilatem sponsae, utpole quae sponsum sequi nequeat, nisi ab eo trahatur; *secundo*, ejusdem tarditatem ad sequendum sponsum, et progrediendum in via virtutis; *tertio*, renitentiam cupiditatis, quae resistit charitati et sequela sponsi, ideoque ad eum trahi debet: tractus enim violentiam significat, trahi enim solent nolentes et inviti, juxta illud:

Docent volentem facta, nolentem trahunt.

Concupiscentia enim nobis innata, resistens rationi et virtuti, facit ut efficaci gratia ad eam

quasi nolentes trahi debeamus, juxta illud Apostoli: « Video allam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis, » *Rom.* VII, 23: et vers. 14: « Lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odium malum, illud facio. » Optat ergo sponsa trahi a gratia Christi, ut per illam impedimentum sequela sponsi, puta resistens concupiscentia tollatur vel superetur, g. d. Vellem te sequi, o sponse, sed concupiscentia reluctans non valeo. Tolle ergo, vel supra ejus locum per tuam gratiam, quae mihi infusa me efficaciter ad te trahat, ac post te non tantum ambulare, sed et currere faciat. Ita S. Bernardus, *serm.* 21: « Trahe, inquit, me post te, quia salus est mihi ut me trahas, ut scilicet viam qualemcumque mihi aut terrendo mihi, aut exerecendo flagellis inferas, quam parens in meo me torpore male securam derelinquas. Trahe quocumque modo invitam, ut facias voluntariam; trahere tentem, ut reddas currentem. » Prius enim timore, deinde amore immisso Deus animam ad se trahit, ut traxit S. Paulum, *Actor.* IX, 6, inquit Aponius unde Arabicus vertit, *trahé me a post te*, hoc est, trahé me a tergo ad faciem, ut que tui post te, fiam ante te, tanquam societate et facie fruar.

Tertio, optat trahi non catenis vel flagris, uti trahuntur boves et asini; sed vi amoris, uti trahuntur homines, juxta illud Osae, cap. XI, 4: « In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. » Unde S. Gregorius et Anselmus aiunt nos trahi per Spiritum Sanctum. Audi S. Augustinum, *serm.* I de *Verbis Apostoli*, qui citans illud Christi, *Joan.* VI: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*: « Non dixit, inquit, *duccerit*. Ista violentia cordi sui, non carni. Quid ergo miraris? crede et venis, ama et traheris. No arbitris istam asperam molestamque violentiam; dulcis est, suavis est: ipsa suavitas te trahit. Nomen ovis trahitur, cum esuriens herba monstratur? et puto quia non corpore impellitur, sed desiderio colligatur. Sic et tu veni ad Christum, non longa itinera meditari; ubi eredis, ibi venis: ad illum enim qui ubique est, amando violentiam, non navigando. » Idem, tract. 26 in *Joannem*: « Quomodo, inquit, voluntate eredo, si trahor? Ego dico: Parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Est quaedam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille caelestis. Porro si Poeta dicere licuit, *Virg.* II *Ecol.*:

Trahit sua quaeque voluptas:

non necessitas sed voluptas, non obligatio sed delectatio; quanto fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia,

Seleetur eterna vita, quod totum Christus est? An vero habent corporis sensus voluptates suas, et animus deserit a voluptatibus suis? Si animus non habet voluptates suas, unde dicitur: Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperant: inebriantur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis deliciarum tuarum potabis eos: quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen? Da amantem, et sentit quod dico, da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem atque sitientem, et fontem aeternae patriae suspirantem, da talem, et scit quid dicam: si autem frigidus loquar, nescit quid loquar.»

Quarto, anima peccatrix, preventa a gratia sponsae, aptat extrahi ex profundo caeno peccatorum, ac trahi ad penitentiam et iustitiam: anima vero iam justificata optat ab eadem trahi ad iustitiae incrementum, ad bona opera, ad virtutes heroicis, quales sunt abdicare mundum, vacare cum Magdalena contemplationi et amori divino.

Tropologicae, S. Bernardus haec verba intorquet in eos qui ambiunt dignitates: «Sponsa, inquit, nec cellam, nec cubiculum ingredi sine rege introducente presumit, tu irreverenter irruis nec vocatus, nec introductus. Trahe me post te, ait illa. Nunc autem trahit sua quemque voluptas, et odorem turpis lucri sectantes quastum astimant pietatem. Quorum certa est damnatio.»

Porro Chaldaeus more suo haec referens ad Iudaeos, duce columna entes in Terram Promissam, sic vertit: «Quando egressi fuerunt populus domus israel de Aegypto, majestas dominatoris caeli erat dux eorum in columna nubis per diem, et in columna ignis per noctem. Dixerunt iusti illius generationis: Dominator totius saeculi, trahe nos post te, et curremus post viam bonitatis tuae.» Illic sensus iudaicus est, et quasi grammaticus; unde sensui christiano et genuino subternitur et subvertit: columna enim ignis et nubis trahebat ducentem quae iudaeos per desertum in Chanaan, typus fuit Spiritus Sancti, qui trahebat, quae christiano pro huius vite tentationes et remoras ducit, imo trahit in caelum.

POST TE CURREMUS. — per cursus, id est vite tuae imitationem. «Post te curremus» ergo idem est quod te imitabimur, mores tuos ad usque agilitate, expedite et proxime sequemur. Velox est sponsa ac currit instar solis: quare qui eum sequi velit, post eum non ambulet, sed currat oportet. Audi S. Ambrosium, *De Isaac et uxore*, III: «Exsultat tanquam gigas ad currendam viam, et qui egressus eius a summo caelo, et occensus eius usque ad summum eius, videns se impari tantae velocitati, dicit: Attrahe nos, Bona anima, quae non pro se sola, sed pro omnibus rogat. Habemus enim cupiditatem sequendi, quam unguentorum tuorum inspirat gratia, sed quia cursus tuos aquare non possumus, attrahe nos, ut auxilio tuo fulste, vestigiis tuis possimus insistere;» unde

post pauca concludit: «Vides quod libenter nos attrahit, ne remaneamus sequentes; sed qui vult attrahi, currat ut comprehendat, et currat superiora obliviscens, et ea quae sunt priora appetens: sic enim potest Christum comprehendere.»

Porro anima carni immersa, indolque gravis et torpida, ut currat in caelum, id est ad Christum, indiget alia magne alacritatis, quas illi suggerunt divinae consolationes. Audi S. Bernardum, *serm. 21*: «Propterea, opus habeo trahi, quoniam refriguit paulisper in nobis ignis amoris tui, nec valemus a facie frigoris huius currere modo, sicut heri et nudius tertius. Curremus autem postea, cum reddideris laetitiam salutaris tui, cum redierit melior temperies gratiae, cum sol iustitiae iterum incaluerit, et pertransierit tentationis nubes, quae hunc operire ad horam cernit, atque ad levem flatum aerae blandioris solis coepert unguenta liquescere, et aromata fluere, et dare odorem suum. Tunc curremus, in odore illo curremus, spirantibus, inquam, unguentis curremus, quoniam abscedet torpor qui nunc est, et revertetur devotio, et iam non erit opus nobis ut trahamur, quippe odore excitatis, ut sponde curramus. Nunc vero interim trahe me post te.»

Id faciebat Psaltes dicens, *Psal. cxviii, 32*: «Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataret mecum:» amor enim dilatans cor, dilatet et pedes gressusque, quos torpor constrinxerat. Unde idem, *Psal. lvi, 7*: «Quis, ait, dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam?» Pluribus deinde interjectis S. Bernardus subiungit: «El quid mirum si indiget trahi, quae post gigantem currit, quae comprehendere nititur eum qui saltit in montibus, transiit colles? Velociter, ait, currit sermo eius. Non valet ex aequo currere, non potest pari cum illo celeritate contendere, qui exsultat ut gigas ad currendam viam; non potest suis viribus, et propterea rogat se trahi. Fessa sum (inquit), deficio, noli me deserere, sed trahe me post te, ne incipiam vagari post amatores alios, nec curram quasi in incertum. Non curram ego sola, etsi solam me trahi petierim: current et adolescentulae mecum. Curremus pariter, curremus simul, ego odore unguentorum tuorum, illa meo excitata exemplo atque hortatu, ac per hoc omnes in odorem unguentorum tuorum curremus. Habet sponsa imitatorum sui, sicut et ipsa est Christi. Et ideo non ait singulariter curram, sed curremus.»

Quaerit d. inde S. Bernardus cur sponsa in singulari dicat trahe me, non in plur. Il trahe nos; in cursu vero dicat in plurali curremus, non curram in singulari? ac respondet: «Trahimur, cum tentationibus et tribulationibus exercemur; currimus, cum internis consolationibus et inspiracionibus visitati, tanquam in scavedolentibus unguentis respiramus: ergo quod austerum et durum videtur, retineo mihi tanquam forti, tanquam sanae, tanquam perfectae, et dico singulariter: Trahe me. Quod suave et dulce, tibi tanquam in-

firmiter communico, et dico: Curremus. Novi ego adolescentulas delicatas et teneras esse, et minus idoneas sufferre tentationes, et propterea mecum volo ut currant, sed non ut mecum trahantur; volo habere socias consolationis, non autem et laboris. Quare? quoniam infirmas sunt, et vereor ne deficiant, ne succumbant. Me, inquit, o sponse, corrippe, me exerce, me tenta, me trahe post te: quoniam ego in flagella parata sum, et potens ad sustinendum. Caeterum simul curremus, sola trahar, sed simul curremus. Curremus, curremus, sed in odore unguentorum tuorum, non in nostrorum fiducia meritum: nec in magnitudine virium nostrorum currere nos confidimus, sed in multitudine miserationum tuarum. Nam et si quando eucurrimus ac voluntarie foimus, non fuit volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.» Aliter S. Gregorius: Trahe, inquit, me post te, ut te quasi Deum solum diligam, ita tamen ut simul fideles mei mecum currant ad mutuum proximorum dilectionem et operem.

Planius et plenius respondet Beda sponsam, puta Ecclesiam de se loqui nunc in singulari, eo quod ipsa sit una per plarium fidelium aggregationem; nunc in plurali, eo quod in ea sint plures fideles, pluresque fidelium ordines et gradus, incipientium, proficientium, perfectorum, pastorum, subditorum, etc. Ait ergo ipsa de se, id est de suis prelatiis et pastoribus, qui adolescentulas dirigit: «Trahe me,» id est meos pastores, ut ipsi trahant adolescentulas, id est populum sibi subditum, atque cum eis currant in odorem unguentorum tuorum. Igitur Ecclesia in apostolis virisque apostolicis, qui summa sunt Ecclesiae capita, est sponsa Christi perfecta, atque cum sponso suppari quasi passu graditur, iuxta illud: «Astilit regina a dextris tuis,» *Psal. xlii, 10*; eadem in pastoribus proxime Christum sequitur, ac post se ducit adolescentulas, puta animas infirmiores, minusque perfectas, cum eisque ait: «Curremus in odorem unguentorum tuorum.» Simili phrasi et gradatione, Cicero, lib. II *ad Atticum*, epist. 23, evocans ad se Pisonium, ut illico veniat: «Si dormis, inquit, expergiscere; si stas, ingrediore: si ingrederis, curre; si curris, advola.»

Porro Rupertus haec adaptat B. Virgini visitanti Elisabeth: «Trahebatur, inquit, post Dominum Elisabeth desideriorum, trahebatur et currobat in odore unguentorum ac beneficiorum saluum, et ipsam currere, id est in montana cum festinatione abire, erat dicere: Trahe me post te. Nam qui veraciter diligit, et trahitur, et trahi cupit. Unguenta autem Dei interpretatur beneficia: «Pretiosum, ait, erat unguentum: magnum erat beneficium, quod Dominus dederat sterili conceptum tanti viri, qui spiritu et virtute Eliae deberet praere ante Dominum, et quo major non surrexit inter natos mulierum. Tanti ac tanti unguenti odorem perciperat: talis ac tanti beneficii famam,»

Sic B. Virgo praee omnibus attracta a Christo, tota vita post eum occurrit, ejus sanctissimos mores praee omnibus imitando, suisque actibus representando, ut ipsa fuerit viva imago Christi, ac apostolis caeterisque fidelibus purissimum speculum vite christiane et perfectae, adeo ut nonnulli haeretici censuerint eam esse deam, ac ut deam adorarent. Imo S. Dionysius: Nisi, ait, seivem unum esse Deum, hanc deam esse credidissem, ut alibi citavi.

IN ODOREM UNGUENTORUM TUORUM. — Ita legendum cum Graecis et Latinis. Mirum ergo S. Ambrosium pro unguentorum legere vestimentorum, idque referre ad resurrectionem, cuius typus et analogo est baptismus; sic enim ait, lib. *De istis qui mysteriis initiantur*, cap. VI: «Quantae hodie renovatae (per baptismum) animae dilexerunt te, Domine Jesu, dicentes: Attrahe nos post te; in odorem vestimentorum tuorum curremus, ut odorem resurrectionis haurirent.» Urget Origenes in *odorem*, q. d. Si sponsi odor ita illicet ad sui sequelam et cursum, quomodo alliciet ejusdem aspectus, vox, gustus et tactus, ac quomodo alliciet ipsa ejus substantia? Ego puto, inquit, quod si aliquando ad hoc pervenerint, iam non ambulent, neque currant, sed vinculis quibusdam charitatis ejus adstrictae adhaereant et, ne ultra mobilitatis alieuius in eis residet locus, sed sint cum eo unus spiritus, et compleatur in eis illud quod scriptum est: Sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint,» *Joan. xvii, 21*. O quam potens odor, quam jucundus et delectabilis cursus, quando anima percipit virtutum Christi trahentis odore, omnium aliarum rerum, etiam sui oblitia, ingenti cum voluptate currit ad pauperitatem, ad contemptum, ad labores, ad contumelias, ad mortem, ad crucem! Per unguenta accipe Christi gratias et charitatem, et miracula, ait S. Augustinus, IX *Confess.* cap. VII. Vide S. Bernardum, *serm. 22*. Porro haec Christi fideles percipiunt in baptismo, quo unguuntur quasi christiani; et in confirmatione, qua unguuntur quasi milites et athletae Christi, sed praesertim sacerdotes, pastores et prelati, qui in sacramento ordinis unguuntur et consecrantur quasi duces et doctores fidelium, qui proinde praee caeteris post Christum currere, ejusque vitam et mores quam maxime imitari, et viva actione exprimere debent: sic enim fragrantia virtutum suarum omnes trahunt post se ad Christum; sicut columbarum columbas capiunt emittentes columbam fragrantibus odore delibatam, quae ceteras hoc odore illicet ad se allicit, secumque ducit ad columbarium, ait S. Basilus, epist. 175 *ad Julittam*.

Anagoge, Ecclesia, et anima sancta contemplans Christum in caelum ascendentem, clamat: «Trahe me post te,» ut tecum e valle haerumarum in montes aeternitatis et aeternae voluptatis ascendam. Ita Cassiodorus et S. Bernardus. Audi S. Augustinum in *Psal. xc*: «Amemus et imitemur quantum ab ipso Angelo acceptum.»

B. Virgo visitans Elisabeth episcopat. ingreditur.

maur, curramus post unguenta ejus; venit enim et oluit, et odor ejus implevit totum mundum. Unde odor? de celo: sequere ergo ad cœlum, si non falsum respondes quod dicitur sursum cor, sursum cogitationem, sursum amorem, sursum spem. » Ita S. Hieronymus, epist. ad Eustochium, De Custod. Virg. de seipso in eremo Syriæ degente scribit: « Post multas lacrymas, inquit, post celo inherentes oculos, nonnumquam videbar mihi agminibus interesse angelorum, et lætus gandensque cantabam: Post te curremus in odore unguentorum tuorum. » Et S. Augustinus, lib. XIII Confess. cap. viii: « Da, inquit, mihi te. Deus meus, edde mihi te. En amo, et si parum est, amem validius. Non possum metiri, ut sciam quantum michi desit amoris ad id quod satis est, ut errat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur donec abscondatur in abscondito vultus tui. Hoc tantum scio, quia mihi male est præter te, non solum extra me, sed et in meipso, et omnis mihi copia, que Deus meus non est, egestas est. » Huc facit illud Isaïæ cap. xl, vers. ultimo: « Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assumptis pennis sicut aquilæ, eurent et non laborabunt, ambulabunt et non deficient. » Vide ibi dicta.

INTRODUCIT RE REX IN CELLARIA SUA: EXSULTABIMUS ET LETABIMUR IN TE, MEMORES UBERUM TUORUM SUPER VINUM: RECTI DILIGUNT TE.

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Sensu grammatico, sive dramatico, sponsa cum adolescentulis sociabus currens post sponsum, ab eo introducta fuit in cellaria, sed sola, adolescentulis foris remanentibus; unde egressa, ad illam conversa narrat ubi fuerit, dicens: « Introductus me rex in cellaria sua; cui congratulantes et applaudentes adolescentule respondent: « Exsultabimus et letabimur in te; » Symmachus pro introductæ, verbi introductæ, in futuro, vel potius optativo: est enim propheta de futura Ecclesie introductione per Christum nascenturum. Sic introducit possit accipi pro introduce; quia enim sponsa dixerat sponso: « Trahe me post te, » quasi idipsum jam de dilecto suo consecuta ait: « Introductus, » id est, cito certoque me introduceat in cellaria sua intima; amantes enim sunt pleni bona spe, ut videantur sibi possidere quod sperant: amor enim dilatat cor, phantasiam et mentem. Unde illud:

Et amans sibi somnia fingit.

Sponsum, puta Christum incarnatum, nunc vocat regem, quia ipse qua homo, est Rex regum et Dominus dominantium, Apoc. xix, 16; nunc pas-
sorem, quia olim reges et principes erant pasto-

res ovium et gregum: talis enim fuit Abraham, Isaac, Jacob, Moses, David. Itaque ræ res significat cellaria hæc, in qua inducta est sponsa, fuisse regia, opulenta, omnibusque bonis et gazis referta, ait Origenes.

CELLARIA. — Hebræum *חדרון* *chadarun* significat intima sive penetralia, qualia sunt conclavia et cubicula, in quibus herus ipse secreto degit, ac suas opes et thesauros recondit. Unde Syrus verbi, *introducitur me in thalamum*; Arabicus, *in cubiculum secretum*, proprium et peculiare. Idem significat grecum *κρυπτή*, ut virtutis Septuaginta, et latium *cellaria*. Cella enim vel cellarium dicitur a *celando*, quod in ea celentur, que volumus esse occulta, ait Servius. Hinc cella significat apothecam frumenti, vini, olei. Unde Donatus: « Cella, ait, et cellarium a reponendis celandisque rebus esculentis et poculentis dicitur. » Et Cicero, De Senect.: « Semper, inquit, boni assiduique domini referta est cella vini, olearia, meliaria et panaria. » Hinc cella significat cubiculum secretum, item partem templi secretorem, in quam ingredi fas non erat: unde Gellius scribit Scipionem in Capitolium venisse, jussisseque cellam Jovis aperiri, ibique locum demoratum fulsisse. Hinc cella S. Bernardo chara et pretiosa erat velut cœlum, utpote in qua liber a mundi strepitu solus cum Deo solo agebat.

Alludit ad cellaria, que fabricavit Salomon in templo, in quibus thesauri et opes templi recondabantur, I Paral. xxviii, 11.

Quæres primo, quænam sunt hæc cellaria sponsi, in qua ipse sponsam introduxit? Chaldeus accipit secretarium divinitatis divinæque sapientie, ex quo lex prodiit, unde sic verit, et applica nos ad radices montis Sinai, et da nobis legem tuam de thesauro tuo, qui est in firmamento, et detectabimur et exsultabimus. Hoc judaicum est, sed christiano sensui subservit: cellaria enim hic significant secreta divinitatis, in quibus sponsus sponse ostendit arcanam suam mysteria, æque ac bona et dona recondita, que magna et multiplicia sunt; quare innuit sponsa vota sua exaudita, quibus optarat: « Osculetur me osculo oris sui; » sponsum enim eis annuisse, ac in cellariis hisce osculum ei præbuisse, ita S. Ambrosius, cujus verba mox recitabo; ibi quoque gustasse ubera sponsi; nam de his mox subdit: « Exsultabimus et letabimur in te, memores uberum tuorum. » In cellis enim sive cellariis reconduntur opes, delicia, monilia, thesauri et pretiosa queque, legitur sponsa hic significat primo se a sponso inductam in cellaria, id est in conclave et intimum penetrale, ubi cum sponso familiarissime agat; secundo, se secretorum ejus factam partem; tertio, se gazarum et thesaurorum ejus fuisse inspectricem, eorumque factam esse consortem, ideoque mira frui voluptate, et summisque deliciis.

Quæres secundo, quænam in particulari sunt hæc cellaria? Respondeo esse var'a et multipli-

Cella, celando

Secundo, mysteria incarnationis, crucis et resurrectionis Christi.

Cellaria divinitatis

Tertio, secreta Dei ecclesia.

Quarto, cellam.

Quæres hæc ut

cia. *Primo*, Theodoretus, S. Gregorius, Justus Origenes, et S. Hieronymus, epistol. 142 ad Damsam, per cellaria accipiunt S. Scripturam, sive Mosen et prophetas, quasi sponsa cognitionem mysteriorum in S. Scriptura absconditorum a sponso accepit, ac præsertim cognitionem Delatris et SS. Trinitatis, sive Dei in essentia unius et in personis trini. Hanc enim accepit Ecclesia per Christum et apostolos. Unde Christus, Apoc. v. 8, reseravit librum signatum septem sigillis, atque apostolis dedit sensum, ut intelligerent Scripturas, Luc. cap. xxiv, 32 et 45.

Secundo, S. Ambrosius, serm. 1 in Psalm. cxviii, ad vers. 7 et 8, per cellaria hæc accipit secreta sive mysteria incarnationis, passionis, crucis et resurrectionis Christi, in que inducta est sponsa, quando eorum cognitionem et fidem per predicationem apostolorum accepit: « Quando, inquit, introduxit eam rex in cubiculum suum, passionis tempus lateris compunctio declarat, sanguinis effusio, sepulture unguentum, resurrectionis mysterium, ut osculum quasi sponsa accepit; in cubiculum autem Christi sit introducta Ecclesia: non jam quasi tantummodo desponsata, sed quasi nupta; nec solum thalamum sit ingressa, sed etiam legitime claves copule consecuta sit. » Et post pauca: « Introduxit enim eam rex in omnia interiora mysteria, dedit et claves ut aperiret sibi thesauros scientie sacramentorum, clausas antea fores panderet, cognosceret quiescentis gratiam, defuncti somnum, virtutem resurgentis. »

Huc accedit Philo Carpathius: Cellarium, inquit, sive promptuarium Christi primum est corpus illud, in quo sibi domicilium fabricavit. Verbum enim in carne quasi in cella inhabitavit, juxta illud: « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, » Joan. i, 14. Unde hæc Christi cellaria explicans Apostolus, Coloss. ii, 2: « Instrueti, ait, in charitate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientie et scientie absconditi. » Hæc Philo.

Tertio, alii per cellaria accipiunt secreta Dei consilia et iudicia, que Deus sanctis revelat, inter que unum et præcipuum est sanctis parari crucces et tribulationes, ut purgantur, magisque sanctificentur, ideoque beatos esse patientes, eo quod crux sit recta ad gloriam via, juxta illud: « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam sperant in regnum celorum, » Matth. v, 10: ita Philo Carpathius.

Quarto, alii per cellaria vel cellas accipiunt celum, in quo sunt multe celæ et mansiones pro diversitate meritorum, Joan. xiv, 2; quasi sponsa hic accepit revelationem bonorum et gaudiorum celestium, que Deus præparavit timentibus et diligentibus se. Ita Cassiodorus, Aponius, Anselmus et Beda, quem audi sponse sensa exprimentem: « Ideo depræcor sponsum, ut nos post se currentes, data niann, ipse ne delicias ad-

juvet, quia jam dulcedinem regni celestis prælabavi: jam gustavi et vidi, quoniam suavis est Dominus: jam bona, que mihi in celis sunt præparata, ipso revelante cognovi. Moxque ad ipsum conversa, ei gratias agens: Exsultabimus, inquit, et letabimur in te; ac si diceret: Nequaquam ipsi de perceptis numeribus extollimur, sed in omni quod bene vivimus, exsultamus, imo exsultabimus et letabimur in tua misericordia. » Rursus alii per cellaria accipiunt paradisum terrestrem, in quem a Deo inductus Adam omnes mundi delicias, omnem scientiam, omnem fidem et spem accepit; sed expulsus ab eo est cum posteris ob prævaricationem: quare Christus eum reduxit, ac homines primævæ justitiae, gratiæ et gloriæ restituit.

Quinto, S. Ambrosius, lib. De Isaac et anima, cap. iii, per cellaria accipit secreta Dei, puta revelationes, visiones, consolationes, raptus, amores, gaudia celestia, in que anima per contemplationem vel extasim rapitur, nisi raptus fuit S. Paulus in tertium celum, ubi audivit arcanam verba, que non licet homini loqui, II Cor. xii, 2 et 4. Audi S. Ambrosius: « Beata anima, que Dei ingreditur penetralia; insurgens namque de corpore ab omnibus sit remotior, atque intra semetipsam divinum illud, si quo modo assequi possit, scrutatur et querit: quod cum potuerit comprehendere ea, que sunt intelligibilia, supergressa in illo confirmatur, atque eo passitur. Talis erat Paulus, qui sciebat se raptum in paradisum, sed sive extra corpus raptum, sive in corpore nesciebat. » Et post nonnulla: « Etenim perfectioni studens, solum illud bonum divinitatis intendit, ne aliud quidquam requirendum putat, quia tenet quod summum est, solaque sibi abundat, quia sola sibi est satis. Nec sola aliquando est, qui presul Dominus adest. Denique in illud divini illius introducta secretum: Exsultemus, inquit, et letemur in te. Non enim in divitiis auri, argenteque thesauris, non in possessionum fructibus, non in potestatibus, non in conviviis, sed in solo Deo exsultat. »

Sexto, apposite idem S. Ambrosius, libro V De Sacrament. cap. ii, per cellaria accipit sacramenta, præsertim Eucharistiam, in qua sub orbiculo panis, et specie vini, velut sub cella panaria et viniaria habitat Christus nos pasvens sua carne, et potans suo sanguine. « Ubi bona libamina, ait S. Ambrosius, vini boni odores, ubi mella savia, ubi fructus diversi, ubi epule variae, ubi epulis plurimis tuum prandium conditur. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Cellaria Dei, in que Christus animam inducit, bonis ut omnibus replet et inebriat, sunt attributa Dei, inter que præcipua sunt duodecim, sci-

Paradisus terrestris.

Quinto, revelationes, visiones, consolationes, raptus, amores, gaudia celestia, etc.

Sexto, Sacra, sacramenta, Eucharistia.

Cellaria, sunt dona divina.

licet Dei infinitas, immensitas, æternitas, omnipotentia, omniscientia, bonitas, sanctitas, amor, dominium, providentia, misericordia, iustitia, quæ erudit et pie pertractat noster Lessius, lib. *De Perfect. divinis*. Hæc enim singula sunt infinita et quæqueverum immensa, ac proinde dum in illa per meditationem, contemplationem, rapitum et exaltationem a Christo introducta anima, venit in abyssum honorum omnium natat, imo mergitur, totaque in amorem et admirationem divinitatis abripitur, ut aliud cogitare, narrare, amare nequeat. Ibi enim, ut ait Psaltes, « inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: et torrente voluptatis tuæ potabis eos, » *Psalm. xxxv, 9*. Ibi Sancti exsultant et lætantur in Deo, ibi lactantur ab uberibus dulcedinis divinæ. In hæc Deitatis cellaria ingressus S. Paulus obstupescens exclamat, *Rom. xi, 23*: « O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus, et investigabiles viæ ejus! » Et S. Petrus in transfiguratione Christi, per umbram corporis gloriosi, non tam spectans quam conjectans gloriam divinitatis, gaudio quasi ebrius: « Domine, inquit, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum, » *Matth. xviii, 4*. Et S. Joannes, *1 epist. cap. 1, 4*: « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostre contrectaverunt de verbo vite, etc., annuntiamus vobis. » Hæc cellaria venit et mulier compuncta (Magdalena) secus pedes Domini Jesu, ait S. Bernardus; « Thomas in latere, Joannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio cælo, secreti hujus gratiam sunt assecuti. Quis nostrum digne distinguere sufficit has veritates meritorum, vel potius premiorum? Ne omnino tamen præterisse quod ipsi novimus, videamur, prior mulier stravit sibi in luto humilitatis, posterior in solio spei, Thomas in loto fidei, Joannes in lato charitatis, Paulus in intimo sapientiæ, Petrus in luce veritatis. »

In hæc omnia cellaria præ cunctis deducta fuit B. Virgo. Unde Rupertus refert hæc ad B. Virginem visitantem Elisabeth, eique dicentem: « Magnificat anima tua Dominum, etc., quia fecit mihi magna qui potens est, » *Luc. 1, 46*; cui responderit Elisabeth: « Exsultabimus et lætabitur in te. » Nam ad vocem et salutationem Mariæ Elisabeth impleta est Spiritu Sancto, et exsultavit infans in utero ejus. Huc facti illud: « Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo, » *Luc. cap. p. 11, 19*.

EXSULTABIMUS ET LÆTABIMUR IN TE. — Sunt verba adolescentulæ cum congaudentium sponsæ quod in cellaria tantum optima sit inducta, aut certe optantium, ut et ipse in illa inducantur; ideoque ad sponsum se convertunt, eique dicunt: *Exsultemus et lætetur in te*, ut vertunt Septuaginta; Symmachus, *Danzubus*, id est, hilares simus, *juvandumur, exultantur in te*. Hoc posterior censent

Origenes, Nyssenus, Theodoretus, Bernardus et S. Anselmus, quem audi: « Quia tu, Domine, sponsam tuam jam in secreta tua introduxisti, ideo et nos præparabimus idoneas, ut cum ea introducatur. Exsultabimus enim, scilicet in corpore bene operantes cum exsultatione, et lætabitur in anima, quia cum lætitia bona cogitabimus; vel lætabitur, si bona fecerimus, non coacte, sed voluntarie, et hoc in te, omnia tibi attribuentes tanquam primæ causæ. »

Secundo, magis connexæ et plane (ne sit tam subtila personarum mutatio) hæc verba attribuitur sponsæ, quæ egressa e cellariis narrat adolescentulis suas quas in his deliciis hausit, aitque: « Introduxit me rex in sua cellaria, omnibus opibus et deliciis referta, quæ non mihi soli, sed et vobis, ubi in virtute adoleveritis, preparavit. Agite igitur, o sociæ, mihi æque ac vobis congratulamini. ac sponso gratias agite, mecumque jubilando dicite jugiter: O Jesu bone, exsultabimus et lætabitur in te. » Venite ergo, exsultemus Domino, jubilemus Deo salutaris nostro, præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei. Exsultabimus, inquam, memores « uberum tuorum, » id est, dulcissimæ tuæ benevolentiæ et beneficiæ, quam mihi sponso communicavisti, et meis adolescentulis suo tempore communicabis. Ita florulentus.

Porro meminit uberum sponsi, ut a Christo discant pastores et prælati subditis se exhibere matres, eosque uberibus lactare. Audi S. Bernardum, *serm. 23*: « Audiant hoc prælati, qui sibi commissis semper volunt esse formidini, utilitati raro. Erudimini qui iudicatis terram. Discite subditorum matres vos esse debere, non dominos; studele magis amari quam metui, et si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica. Matres, fovendo, patres vos corrigiendo exhibeat. Mansuescite, ponite feritatem; suspendite verbera, producite ubera; pectora lacte pinguecant, non typho turgent. Quid jugum vestrum super eos aggravatis, sponsum potius onera portare debetis? Cur morsus a querentibus parvulus fugit conscientiam sacerdotis, ad quem cum magis oportuerat tanquam ad sinum recurrere matris? Si spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis; considerans unusquisque seipsum, ne et ipse lenetur. Alioquin ille in peccato suo morietur, sanguinem autem ejus (ait) de manu tua requiram. »

Mystice, Bartholomæus de Martyribus, archiepiscopus Braecensis, in *Compendio spiritualis doctrine*, vere divinæ, cap. xv, in fine, septem gradus assignat, quibus possumus ad hæc Christi cellaria, hoc est, ad contemplationem unitivumque amorem ascendere; qui sunt, gustus, desideria, scientia, ebrietas, securitas, tranquillitas; septimi vero nomen soli Deo innotescere dicit. *Primus* ergo merito vocatur gustus, quod in gustuum mutatione consistat: peccatoribus enim,

qui carnales tantum novere gustus, dicitur *Psalm. xxxiii, 9*: « Gustate, et videte: quoniam suavis est Dominus; » immutata gustus, nec existimatis celestes saporis alimunde quam a Deo provenire posse. Ideo Dominus incipientibus solet spiritus consolationes imperitari, quod sciat infirmam ac fragilem animam vix posse, nisi prævio gustu ad divina evolare. Anima in hoc primo gradu vacet compunctionibus, macerationibus, meditationibus quatuor vitæ novissimorum, ac passionis Christi, præsertim mortificationibus ac eradicationibus malarum cogitationum et consuetudinum, ut in Deum libere transire valeat, quod non sine maximo fit conatu: « Regnum enim cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud, » *Matth. xi, 12*; non autem pusillanimes et deliciosi. *Secundus*, quia divina, quo plus gustantur, plus appeti solent, ideo gustum consequuntur desideria magis ac magis fruendi Deo, cum exlearum rerum omnium sporem cum lætulo respunt. Et his desideris suboritur studium non solum meditando, sed etiam Christi vitam imitandi, et ardor per illum incedendi, qui dixit, *Joan. xiv, 6*: « Ego sum via. » Passus autem quibus debet incedere, hi sunt: humilitas, mansuetudo, patientia, caritas, oratio, ejus crux et labores. *Tertius*, satiatus; quando anima eo pervenit, ut quæ mundana sunt abominetur, et in time odent, mox etiam quiescit, et solo divino amore saturatur; ne namque ipse experitur nullibi se posse nisi in Deo plene satiari. *Quartus*, ebrietas, quæ est quedam exaltatio, et mentalis excessus ex prædicta divini amoris satiæte procedens, quæ nullarum imaginationum ac phantasmatum aqua miscetur, a quibus difficillime abstrahitur, nisi Dominus ipse manu ducat animam, atque eam in secretum suum cubiculum, id est in se, intronitatis et recipiat, sensibus foras dimittis et eorum muneribus suspensis. *Quintus*, securitas innotem excludens: gustata enim divinæ charitatis perfectione, manet anima omnino resignata in divinum beneplacitum, ita ut gehennam ferre perpetuo parata sit, si Deo sic placitum foret. Experitur insuper in seipsa quoddam strictissimum divinæ amicitie vinculum adeo firmum, ut separari nunquam ab eo se posse existimet. *Sextus*, tranquillitas, scilicet tanta pacis et jubilationis ubertas, ut anima quasi in silentio et somno super pectus Domini recumbens, vivere credatur.

Secundus desideria.

Tertius saturatus.

Quartus ebrietas.

Quintus securitas.

Sextus tranquillitas.

Septimus innotem.

Septimus innotem.

Alitudo ad id quod dixit vers. 1: « Meliora sunt ubera tua vino. » Unde colligitur ubera hæc esse sponsæ, non sponsæ, quæ sponsi dulcedinem, beneficentiam et lactationem denotant, ut ibidem dixi. Rursus, inde liquet « meliora hæc subintelligi, q. d. Memores erimus uberum tuorum, quæ meliora et suaviora sunt super vinum, id est, super omnes delicias mundicæ voluptatis; in his enim primas tenet vinum. Porro qui ubera sponsæ non sponsi hic accipiunt, per ubera intelligunt amorem, quasi adolescentule hic congratulentur sponsæ de conjugio et amoris sponsi, quod scilicet ei tam fortunata sors, tam felix amor, tam nobile cum Christo conjugium, obtigerit, ut illud perpetuo memorari, commemorare et celebrare decernat. Ita Sanchez. Unde Nyssenus et Theodoretus sic explicant, quasi adolescentule et christiani quilibet dicant Ecclesie: Quia tu dilexisti ubera Christi super vinum voluptatis et sapientiæ mundanæ, hinc nos pariter diligemus et ubera et doctrinam tuam, tamque secure sugemus, quia rectitudo, hoc est Christus, dilexit te: hoc sensu Nyssenus in opus S. Joanni, qui super pectus Christi in æta recubuit.

RECTI DILIGIT TE. — *Primo*, hebr. est נִשְׂרָרִים *mescharim*, id est *rectitudines*, æquitates; unde Septuaginta vertunt, *æquitas dilexit te*; Arabice, *rectitudo dilexit te*; Syrus vero, *præ rectis dilexit te*. Sunt verba sponsæ ad sponsum, ut dixi, q. d. Exsultabimus in te, o Christe, memores uberum, id est amorum et dulcorum tuorum, qui suaviores sunt vino, id est quibuslibet corporis deliciis, quia amor tuus non est carnalis et impurus, sed spiritualis, purissimus et sanctissimus. Nam « rectitudines dilexerunt te, » id est te omnes rectitudines, id est omnes virtutes et gratiæ esse videaris; ac revera talis es, quia es Filius Dei, quem omnes divinæ dotes, omnia decora, omnia charismata ambiunt, ornant et coronant. Ita Origenes. *Secundo*, alii *mescharim* vertunt in ablativo, in *rectitudinibus*, q. d. Virgines diligunt te rectitudinibus, hoc est, amore omni ex parte recto, id est casto et puro, quia in tui amore summa inest rectitudo, summa æquitas, summa honestas, summum deus. *Tertio*, R. Abraham *mescharim*, id est *rectitudines*, refert ad vinum, q. d. Memores erimus uberum, id est amorum tuorum, quia meliora sunt super vinum *rectitudinem*, id est super vinum sincerum, purum et præstantissimum. Verum hæc obscurum, fingidum et contortum videtur.

Denique Noster optime *mescharim* veritatis, sive quia *mescharim* tam rectos quam rectitudines significat; sive quia metonymice abstractum ponitur pro concreto, puta *rectitudines* pro rectis. Sensus est, q. d. Jugiter exsultabimus, et jubilabimus, et lætabitur in te, o bone Jesu, sponsæ animæ nostræ: quia recordabimur ubera tua

Sponsæ sponsum allegantur.

Abstrac-tum hic pro concreto.

dulcedinis et misericordiae meliora esse vino, id est deliciis omnibus totius mundi: hinc enim recti, qui scilicet gustum mentis habent rectum et sincerum, non morbo concupiscentiae depravatum, qui scilicet omnia metiuntur recta ratione, non prava cupiditate, diligunt te, quia *ubera*, id est dulcedinis tunc sunt rectissima, id est iustissima, iustissima, planeque rationi, legi, virtuti ac Deo conformes. Hinc Symmachus verit, *recti sunt, qui diligunt te*, quia a recta ratione, lege et virtute ducuntur.

Al rectitudinem duo requiruntur.

Porro rectitudo duo requirit: *primo*, ut vita et actio in se sit recta, id est honesta et iusta; *secundo*, ut recta intentio fiat. Hinc S. Thomas interpretatur, *q. d. Recti*, id est qui rectam habent intentionem, qui scilicet uni Deo placere student, eumque sibi vite et operationum omnium finem praesuntunt; hi, inquam, diligunt te. Censet Origenes hic tacite a sponsa perstringi adolescentulas, *q. d.* Qui plane in animo et amore sunt recti, ut rectos habeant omnes suos affectus, hi plane diligunt Christum; ad adolescentule meae, quid adhuc non plane rectos effocere suos affectus, sed adhuc vinum voluptatum diligunt, ac vitiosae quid concupiscentiae in eis residet, hinc non plene diligunt Christum; sed adolescentae ac sensim depravantur suos amores, ut omnino recti evadant, tuncque erant sponsae Christi, cumque toto corde totisque animae viribus diligunt. Hinc collige: si vis amare Christum, rectifica tuam mentem, ac tuos amores et mores. Nulli enim nisi recti diligunt Christum. Ita S. Ambrosius in *Psal. cxviii*, serm. 2, ad vers. 4: «*Aequitas*, ait, dilexit te, hoc est, non flexuosa itinera te sequuntur, solus ad te potest iustitiae trames pervenire. Qui enim diligit iustitiam, non se averit a Christo.» Rursus hinc collige rectitudinem vite et morum esse charitatem et amorem Christi. Hic enim amor rectissimus est, et omnia torta rectificat; quare quod huic amori conforme est, id rectum est; quod difforme, id curvum et tortum. Ita Cassiodorus, Iustus Orgelitarus, Beda et alii. Charitas est rectitudo animae omniumque ejus virium et potentiarum.

Charitas est rectitudo animae.

Porro hujus rectitudinis animam admonet corpus rectum et a Deo rectissimo datum praeter ceteris animalibus. Audi S. Bernardus, *serm. 24*: «*Quid enim indecentius, quam curvum recto corpore genere animus? Perversa res est et foeda, luteum vas, quod est corpus de terra, oculos habere sursum, caelos libere suspicere, colorumque luminariis oblectare aspectus; spirituales vero celestemque creaturam suos et contrario oculos, id est internos sensus: atque affectus, trahere in terram deorsum, et quae debuit nutiri in croceis, haerere luto, tanquam unam de sulcis, amplexarique stercora. Erubescet, anima mea, divinum pecorinum commutasse similitudinem: erubescet volutari in ceno, quae de celo es. Erubescet, anima, ait corpus, in mei consideratione. Creata creantur similis secula, me quoque accepisti adjuto-*

rium simile tibi, utique secundum lineamenta corporae rectitudinis.»

Tropologie, praelatus probus, ait S. Bernardus, et vir apostolicus, qui uberibus doctrinae suae alios lactat, saepe patitur ab impis et pravis persecutiones et calumnias; sed soletur se, quod recti diligunt eum, ac in primis Deus, qui est rectorum rectissimus, juxta illud: «*Rectus Dominus Deus noster: et non est iniquitas in eo, Psal. xxi, 16*; quare eo fretus, et testimonio conscientiae laetus, impiorum judicia despiciat, dicatque cum Psalme: «*In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, et letentur, Psal. xxxviii, 3*. Rursus S. Gregorius haec accipit de commemoratione passionis Christi, quae inflammat in nobis Christi dilectionem: «*Sancta anima*, inquit, sponsa Christi in sponsi sui deliciis exultat, dum corporalia respicit, et in spiritualibus se occultat; eundemque sponsum delicias suas facit, in cujus respectu mundana omnia non curat. Sed haec in memoria uberum agit; quia dum recolit quanta charitate Christus eam dilexerit, qui sanguine suo eam moriens in cruce redemit, et quotidie eam in sinu Ecclesiae matris ejusdem sanguinis lacte nutrit, procul dubio magis ac magis in ejus dilectionem intendit. Quod lac bene super vinum dulce esse dicitur, quia per sanguinem Christi misericorditer educamur, qui per legis litteram severius constringebamur. Per quam dilectionem adimpletur quod dicitur: *Recti diligunt te*: soli iustique recti Christum diligunt, quia quicumque adhuc per distorta vitiorum ex desiderio currunt, dum in rectitudinis lineam semper offendant, ipsum justitiae auctorem Christum omnino diligere non possunt.» Denique Chaldaeus verit, et *delectabimur, et exultabimus, et recordabimur eorum, et diligemus deitatem tuam, et recordemur ab idolis populorum; et omnes iusti, qui faciunt quod rectum est coram te, timebunt te, et diligunt precepta tua.*

VERS. 4. NIGRA SUM, SED FORMOSA, FILIE JERUSAELAE, SICUT TABERNACULA CEDAR, SICUT PELLE SALOMONIS.

NIGRA SUM, SED FORMOSA (hebraice פְּתִימָה *schchora*, id est subnigra et fusca sum, ut legit S. Ambrosius in *Solent, David*, scilicet eum mandum et facies, uti solent quae in agris ovae pascent, sed facie liberali, et lineamentis decoris, ac totius membris corporis formosa sum et venusta), FILIE JERUSAELAE, SICUT TABERNACULA (Arabibus *sicut habitaciones*) CEDAR, SICUT PELLE (Aquila et Symmachus *tentoria*, quae sunt e pellibus) SALOMONIS. — Haec posterior similitudo priori notanda est respectu et disjunctim, hoc modo, *nigra sum sicut tabernacula Cedar*, id est Arabum (*Cedar enim fuit filius Ismaelis, et pater Arabum, sive nomadum, in solitudine Saraacenorum habitantium in tentoriis*), *sed formosa sicut pelles Salomonis*. Ita Origenes, Theodoretus, Cassiodorus, S. Gregorius, Rupertus, S. Bernardus, S. Anselmus et alii; nec

Nysenus et Aponius utramque similitudinem, scilicet tabernaculorum Cedar et pellium Salomonis, referant tam ad nigredinem quam ad formositatem sponsae. Est occupatio, dicit enim quis: Quomodo tu, o sponsa pastoralia et rusticana, quae instar Cedarum in tabernaculis perpetuo degis, ut pascas greges, ibique aestu solis adurires et denigraris, aures ambire nuptias regis, ac dicere: «*Osculetur me osculo oris sui?*» Occurrit et respondet: *Esto exterius nigra sim, ut cedarum pelles et tabernacula, tamen interius pulchra sum ut pelles et pellita tabernacula Salomonis, qui uti in omni re, ita et tentoriis suis (quibus utebatur, dum iter faceret) cultissimus et pretiosissimus erat; unde ea auro et gemmis, picturis pretiosis ornabat. Sic Plinius de Nerone: «*Cui, inquit, erant sigillata tentoria et aurati papilionis.*» Rursus coherent haec cum proxime praecedentibus, *q. d.* «*Recti diligunt te*, » o sponsa Christe, aequae ac me, quae tibi sum sponsa; at vero pravi nulli oderunt et persequuntur, tam me quam te. Nigra ergo sum per aerummarum caliginem et persecutionum afflictionem, sed formosa per patientiam, constantiam et victoriam, quae persecutores superavi, imo domui, converti mihi et tibi subieci. Tribulationum ergo nigredo me non turpavit, sed honestavit et illustravit.*

Alludit ad Ethioissam uxorem Moysi, ob quam contra Moesam murmurans soror ejus Maria, a Deo percussa est, *Num. xii, 1 et 10*; haec enim typus fuit Ecclesiae ex gentibus infidelitate atris a Christo collectae, ob quam murmurantes Judaei, a Deo reprobi sunt. Ita Origenes.

Porro orientales et meridionales multi sunt, ut, ut Mauritanii, Aegyptii, vicinique Judaei, Arabes et Ethioptes; qualis erat Andromede, Cepheae ipsorum regis filia; de qua Ovidius:

Placuit Cepheae Persae
Andromede, patriae fusca colore suae.

Haec apud eos fuscii habentur pulchri, albi vero formosae. Unde Ethioptes Judam et demones dicunt albos; S. Petrum vero et angelos pingunt nigras. Adde fuscum mixtum et medium esse colorum inter album et nigrum, ideoque suam habere elegantiam. Hinc aurora hebraice dicitur פְּתִימָה *schuchar*, id est *subnigra*, quia ipsa est communis noctis et diei, sive tenebrarum et lucis: eam tamen est pulchra, ob radios solis pulchre inter tenebras splendentes et radiantem. Unde eadem comparatur sponsa, cap. vi, vers. 9: «*Quae est ista, inquit, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?*»

Per filium Jerusalem nonnulli primo cum Aponio angelos accipiunt, qui cives sunt celestis Jerusalem, *q. d.* Nolite, o angeli, mirari quod non sita candida sim, uti vos estis, sed nigra; quia haec nigra, formosa tamen sum, ut vos. *Secundo*, alii accipiunt Judaeos, quos persecuti sunt Chris-

tum et christianos, praesertim gentiles, quod fuisse nigri per infidelitatem. Ita Theodoretus et S. Athanasius in *Synopsi*, Tertio et planius, accipias adolescentulas, id est animas in fide Christi novellas: haec enim vocatur *Alba Jerusalem* allusione ad sponsam, quae erat uxor Salomonis, qui erat rex Ecclesiam.

Quares, quomodo Ecclesia nigra sit simul et formosa. *Primo* Nysenus, S. Gregorius, Philo Corpathius, S. Hieronymus in cap. II *Sophon.*, S. Chrysostomus, homil. 4 *De Virtute*, et alii passim censent Ecclesiam gentium dici nigram ob praecedentem idololatriam et scelera, quibus in gentilibus servivit peccato et diabolo; formosam vero, per conversionem et gratiam Christi, quae nigredinem scelereum in baptismo eluit, seque in sanguine Agni dealbavit. Unde S. Ambrosius, serm. 2 in *Psal. cxviii*: «*Fusca*, inquit, per culpam, decora per gratiam; fusca per vitium, decora per lavaeam. Fusca sum, quia peccavi; decora, quia jam me diligit Christus.» Idem, libro *De istis qui myster. inchoant*, cap. vii: «*Nigra*, inquit, quia ex peccatoribus; decora, fidei sacramento.» Audi S. Bernardus, serm. 25: «*Sed audi unde nigram, et unde formosam se dixerit. An nigram quidem ob tetram conversationem, quam prius habuit sub principe hujus mundi, imaginem: terrestrius hominis adhuc portans; formosam vero de celesti similitudine, quam postea commutavit ambulans jam in novitate vite? Sed si hoc est, cur non magis de praeterito: nigra fui, et non nigra sum, dicit? Si cui tamen placet hic sensus, id quod sequitur: Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis, sic oportet intelligi, ut de veteri quidem conversatione Cedar, de nova vero Salomonis se dixerit tabernaculum. Hoc enim esse pelles, quod tabernaculum Propheta ostendit, dicens: Repente vastata sunt tabernacula mea, subito pelles meae.» Sensus ergo est, quasi dicat, ait Origenes et Nysenus: Ego Ecclesia gentium, olim infidelitate fui nigra, ac proinde fui tabernaculum Cedar, id est obscurotatis, in quo habitavit princeps tenebrarum diaboli; nunc autem per baptismum abluta, et per gratiam Christi sanctificata, facta sum formosa sicut pelles, id est tabernaculum Salomonis, quia effecta sum templum Christi, qui verus est Salomon, et rex pacificus.*

Huc accedit Chaldaeus, qui more suo haec refert ad Iudaeos viculum aureum adorantes: «*Quando, inquit, fecerunt domus Israel vitulum, denigratae sunt facies eorum sicut filiorum Ethioptiae, qui morantur in tabernaculis Cedar; et quando egerunt penitentiam, et dimissum fuit peccatum, multiplicatus fuit splendor vultus eorum, sicut vultus angelorum, quod fecerunt corinthae tabernaculi, et resedit in medio eorum majestas Domini. Moses autem magister eorum ascendit ad aethera.» Simili enim modo Ecclesia transit a tabernaculis Cedar ad pelles, id est ad taberna-*

Alia adolescentulas salomonis.

Ecclesia nigra et formosa.

Parte prima.

cula Salomonis, cum de errore ad veram fidem, de mendaci caligine ad lucem veritatis, de sanguinolenta iracundia ad pacis tranquillitatem, de propugnatione idolorum ad propugnationem vere religionis Dei transmigravit, ait Aponius.

Secundo, Ecclesia dicitur nigra et formosa, quae constat ex peccatoribus et iustis: ita Beda et S. Augustinus, lib. III *De Doctrina Christiana*, cap. XXXI. Aut quia constat gentilibus olim in gentilismo circumcisis, foedis et atris; ac Judaeis, qui ab olim fuere circumcisi, fideles et populus Dei: ita Theodoretus et Philo Carpathius.

Tertio, S. Augustinus, serm. 201 *De tempore*, ait Ecclesiam et animam fidelem nigram esse per aururam peccato corruptam, id est per concupiscentiam, formosam vero per gratiam: « Unde, inquit, est Ecclesia nigra et formosa? nigra per naturam, formosa per gratiam. Unde nigra? Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in deliciis peperit me mater mea. Unde formosa? Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealabor, *Psal.* I, vers. 9. Unde nigra? Apostolus dicit: Video aliam legem in membris repugnantem legi mentis meae, et captivum me ducentem in lege peccati, *Rom.* vii, 23. Unde formosa? Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, vers. 24. Vere Ecclesia gentium corvis similis erat, quando viventem Dominum contemnebat, et ante acceptam gratiam velat mortuorum cadaveribus, idolis ministrabat. » Et S. Ambrosius, lib. *De his qui mysteris vivunt*, cap. vii: « Nigra est, inquit, per fragilitatem conditionis humanae, decora per gratiam. » Et Aponius: « Ex captiva, ait, libera; ex peregrina, civis; ex vilissima, regina et sponsa Creatoris, Verbi Dei Christi benignitate electa. »

Quarto et valde apposite, nigra est Ecclesia per persecutionem et passionum turbines, formosa per invictam animi patientiam et constantiam. Hunc sensum exigit id quod sequitur: « Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Filii matris meae pugnauerunt contra me: nigra ergo est propter erummas; formosa, primo, propter decus fortitudinis et humilitatis, aliarumque virtutum, quas patiente et pugnando conquiri et adauget; secundo, propter coronas pulcherrimas, quas in caelis sibi meretur; tertio, propter multiplices sanctorum ordines, quibus decoratur, ait Aponius. Et S. Ambrosius, *De Spiritu Sancto*, cap. xi: « Nigra, inquit, est exercitii sui pulvere, dum praellatur; decora dum victoriae suae insignis sibi coronatur. » Et in *Psal.* cxviii, serm. 18: « Præmisit, inquit, decorem ad aegeret eorum. » Sic et Cassiodorus: Cedar, inquit, id est Saraceni, Arabes, hostes Israelis, denotant persecutores Ecclesie, qui illam demerere satagunt; sed illa formosa est, quia ipsa est tabernaculum (quod fit ex pellibus) Salomonis, hoc est Christi, ideoque digna ejus visitatione et consola-

tione; praesertim quia illa assidue studet mortificationi, cujus symbolum sunt pelles, quae animalium mortuorum sunt exuviae. Sic et Beda, qui et addit Ecclesiam assimilari Cedar filio Ismaelis, de quo dictum est: « Manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eam, » *Genes.* xvi, 12. Simili enim modo Christus praedixit apostolis et Ecclesiae: « Eritis odio omnibus propter nomen meum, » *Matth.* cap. x, vers. 22. Exemplum dat Justus Orgelitanus S. Paulum: Considera, ait, nigram et formosam in Paulo: « In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non desistimur: deiecimur, sed non perimus, » *II Cor.* iv, 8. Tabernacula Cedar sunt, cum ait: « Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema, » *I Cor.* iv, 13. Pelles vero Salomonis, cum ait: « Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris, » *II Cor.* iv, 10. Haec Justus.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Primo, anima peccatrix et penitens nigra est, prima, anima et gra. per culpam, sed formosa per penitentiam; nigra per torporem, formosa per fervorem. « Speciem enim ei largitur conversio, ait Origenes, cum ab humilibus incipit ad alta condescere, diciturque de ea: Quae est ista quae ascendit dealbata? » Iluc accedit Nysseus docens animam peccato denigratam fieri formosam, quia Christus dilexit illam iuxta id quod praecessit: « Rectitudo dilexit te. » Audi Nysseum: « Nolite mirari (o adolescentulae) quod me dilexerit rectitudo, sed quod, cum nigra essem peccato, et per opera affinis essem et conjuncta tenebris, me pulchram fecit per directionem, sua pulchritudine commutata cum mea turpitudine: in se enim transiit sordibus meorum peccatorum, mihi sicut inuperitum puritatem. »

Affert simile noctis et aurorae: nox enim omnia facit tenebrosa et nigra; ad aurora, fugatis de nocte atris tenebris, candidam pulchramque rebum omnibus lucem inducit. Idem facit Christus, cum anima animam errore et peccatis tenebrosam, lucida sua gratia speciosam efficit. S. Gregorius vero refert haec ad animam sanctam, sed cum Magdalena penitentem, quae praeteritorum peccatorum memor, vocat se nigram, sed formosam, per presentem Christi gratiam et iustitiam. « Nigram quippe, inquit, et formosam sancta anima se benedicit, quia semper et turpitudinem peccatorum suorum perspicit, et tamen illius justitiam, quam in intimis videt, in exterioribus oculibus secum solenter formam gerit. Quae bene sicut tabernaculum Cedar nigra, et sicut pelles Salomonis formosa dicitur, quia in quantum tenebras mortalitatis portat, nigredine corruptionis soradatur!

Cedar enim tenebra interpretatur; Salomon vero, qui Christum significat, pacificus dicitur. Formosam ergo se sicut pelles Salomonis dicit; quia dum sanctos quosque, qui ad imitationem Christi se mortificant, imitari non negligit, eorum utique pulchritudine per similitudines se jungit. « Quare penitens, qui futura peccata praecavere, sequit in gratia Dei stabiliter satagit, iugiter cum S. Magdalena peccata quae commisit in mente verset, iugeat et delectat; haec enim humilitas, contrito et compuncto gratiam Dei conciliabit, quae ei donum perseverantiae praestet.

Secundo, anima iusta nigra est forinsecus ob defectus et culpas veniales, in quas saepe incidit; formosa vero intrinsecus per gratiam, charitatem, ceterasque virtutes. Rursum nigra est ob pericula peccandi mortali, damnationis et gehennae: haec enim pericula suggerunt ei quotidiane tentationes diaboli, mundi et carnis, ob quae in humilitate cum timore et tremore salutem suam operatur, ideoque formosa est; formosam enim eam facit humilitas et timor sanctus, qui proinde eam confirmat, ut tentationibus generose resistat, itaque victoriam et salutem ei quasi assecurat, uti docet S. Bernardus.

Tertio, haec accipias de anima cum concupiscentiis et passionibus luctante, *g. d.* Nigra sum per foveas ire, gule, libidinis, omnisque concupiscentiae motus; sed formosa, quia cum his assidue fortiter configit et vincit, itaque per bellum veram pacem, per gratiam Salomonis, id est Christi regis pacifici, consequitur, in qua pace sita est animae harmonia et pulchritudo. Ita S. Ambrosius, *De his qui mysteris vivunt*, cap. vii; idem, *Exhort. ad Virgin.*, haec cuiuslibet virginis adaptans: Nigra, inquit, per carnem, decora per virginitatem, sicut pelles, id est tabernacula Salomonis et pellibus confecta, sed auro et gemmis intexta, ac opere purgatio et babilonica elaborata.

Quarto, haec accipias de anima sancta, quae emulorum obloquia, persecutiones, ceterasque erummas hujus vite sustinet: haec enim nigra est per erummas, sed formosa per patientiam; quare nigredo erummarum patientiae ejus formositatem adauget. « Felix nigredo, ait S. Bernardus, serm. 23, quae mentis andorem parit, lumen scientiae, conscientiae pariatem. » Et inferius citat exemplum Pauli, *II Cor.* xii, 5: « Libertus, ait, glorior in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Optanda infirmitas, quae Christi virtute compensatur. Quis dabit mihi non solum iudicari, sed et de-tur ac delibere penitus a me metipso, ad bonum virtutum virtute stabilis? Nam virtus in infirmitate perficitur. Denique ait: Quando infirmor, tunc fortis sum et potens. Quod cum ita sit, pulchre sponsa convartit sibi ad gloriam, quod ei pro opprobrio ab amatis intorquetur, (non modo formosam, sed et nigram esse se gloriosus. Non enim erubescit nigredinem, quam novit praecessisse et in sponso, cui similari quan-

tae etiam gloriae est? Nil sibi gloriosius proinde putat, quam Christi portare opprobrium. Unde vox illa prorsus exultationis et salutis: Absit mihi gloria, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi. Grata igitur omnia erucis ei qui crucifixus ingratus non est. Nigredo est, sed forma et similitudo Domini. »

Porro Theodoretus per pelles Salomonis accipit pelles pretiosas quibus vestiebatur Salomon, *g. d.* Ego sum sponsa veri Salomonis, id est Christi, ideoque sum formosa, quia eo quosque vestibus vestita incedo. Denique audi pelles sanctorum describentem Paulum, *Hebr.* xi, 37: « Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occasione gladii mortui sunt: circumierunt in molis, in pellibus caprinis, egeutes, angustiati, afflicti: in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terrae. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Primo, B. Virgo nigra fuit non in se, sed in parte suo Adam, qui peccavit et peccato totam suam posteritatem (excepta B. Virgine) infecit. Est ergo ipsa nigra per dominationem extrinsecam, quia filia peccatoris; in se tamen est formosa per gratiae plenitudinem. Unde S. Ambrosius, serm. 2 in *Psal.* cxviii: Caro, inquit, peccatrix quam rolegavit in Eva, recepit ex Virgine, suscepit ex Maria primae-vam suam puritatem et decorem.

Secundo, Rupertus de B. Virgo, inquit, nigra visa est, cum a Joseph inventa est gravida, qui proinde voluit occulte eam dimittere; sed formosa fuit in veritate, quia concepit obumbrante Spiritu Sancto. Rursum, nigra fuit per humilitatem, quae ex exteriori gessit sicut caetera matres, quae ex viro concipientes et parentes sordidantur, ideoque die quadragesimo purificantur. Sic enim et B. Virgo purificata fuit; sed interiori fuit formosissima et pulcherrima, adeoque humilitas haec tanta novum ei decus novamque pulchritudinem conciliavit.

Tertio, eadem Judaeis caeterisque infidelibus vilis et despecta fuit, uti tabernacula Cedar; sed fidelibus, imo angelis et Deo, formosa sicut pelles, id est tabernaculum (tabernaculum enim Moisis foris operiebatur pellibus, intus vero auro, argento, etc.), et templum Salomonis, quia ipsa fuit templum, imo caelum non manu factum, quod sibi Sapientia Dei, puta Christus, edificavit, *Proverb.* cap. ix, 1. Ita Haugrimus, quem audi: « Nigra sum in apparentia, et despecta tanquam mater leprosi; sed formosa in veritate existens, et tanquam veri Dei genitrix gloriosa. Nigra sum tanquam tabernacula Cedar, quia non reputo tabernaculum Regis iustitiae, sed sicut caetera matres, quarum ventres tabernacula sunt filiorum marioris et tenebrarum; inter tabernacula Cedar reputata sum, quod interpretatur tenebra vel mavor. Veruntamen ego formosa sum sicut pel-